Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Eppelin, Gustav Friedrich]: De bello et pace orationem habuit, 11 März 1797

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

De bello et pace
orationem habuit.
G. F. Gysselin Med. St.

Et quidem, partem primam, die VI Augusti an. 1796.
alteram vero die XI. Martii 1797.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Director gravissime!
Socii ornatissimi!

Qui casu omnia fieri queruntur, nec ulla providentia et consilio regi, aut quorumcunque malorum auctorum sanctissimum numen esse, temere opinantur; omni à se culpa amota, ipsorumque vitiis nihil earum, quae saepe vitam hominum infestant atque dilacerant miseriae, attribuentes: à veritate longissime absunt, et in foedo versantur errore. Quodsi isti stultissimi propius et curatius inquisiverint, quae sit plurimarum calamitatum, humanam vitam affligentium origo; quibus ~~initiis exsurgant, qui~~ causis gravissima, sive domestica, sive publica mala gignantur; quibus initiis exsurgant, quibus progressibus augescant; unde sint tot singulorum hominum dissidia, cognatorum odia, fratrum discordiae, principum ac regum atroces concertationes, tristia gentium bella atque funesta: his bene cogitatis accuratèque dispectis facile reperient, eorum cunctorum principia à cupiditate, impotentia, ambitione et libidine hominum esse ducenda. Adeo humanum ingenium et utilissimarum rerum, et nocentissimarum foecundum exstitit, ut diversissima boni malique genera ab eodem invenirentur, et quidquid ad felicitatem generis humani conservandam et promovendam, aut imminuendam et pessumdandam pertinet, illuc referri oporteat. Quemadmodum multa salubria ad tuendam bonam valetudinem, et medicina, quam dii veteres adscripserunt diligenti observatione et experimentorum assiduitate, ab homine inventa est, quae ad sanitatem aegros

educeret, et vitam longam praestaret: ita ciborum plurima condimenta, quae ad luxuriam invitarunt, deliciarumque et voluptatum innumeras formas, quibus corpus varie corrumpitur labefactaturque, ac pestifera arma, vulnerum instrumenta, pulveris pyrii, et tormentorum usum ad internecionem idem commentus est. Nec quidquam omnino aut mali est, quod non ipsi homines, prout recto uterentur ingenio an pravo, lenirent levarentque, vel in pejus verterent; aut boni quidquam, quin adtollerent et exornarent, vel imminuerent atque rebus humanis prorsus eximerent. Eminet inter cetera mala, quae a pravitate humana in rem humanam profecta sunt, bellica calamitas, qua eximia et dulcia pacis bona perduntur. Quocirca ego jam, verba apud Vos facturus, non alienum esse duxi, *de pacis praestantia*, ejusque *tuendae cura* ita exponere, ut primum *desolantia belli mala*, deinde *pacis prosperantia bona* commemorem; tum quoque nonnulla quibus *pacis tuendae studium* continetur, subjiciam. In tam infinito malorum, bella comitantium et subsequentium numero, suo quodque loco et justo ordine adsequi, perquam esse difficile satis intelligo; neque aliud Vos, auditores, orationis meae iter desiderare puto, praeter illud, in quod sensus ipse me induxerit. In universum nihil esse potest, (ut ab hoc ordiar) funestius aut luctuosius, nihil magis deplorandum, iis quae inter bellicos furores eduntur hominum stragis.

Ecquis omnino, qui sese hominem esse cogitat, usque
eo humani sanguinis contemtor fuerit, quin vel sola
cogitatione imo pectore commoveatur, uno saepe
tempore, eoque brevi; et una ruina multa millia ho-
minum convolvi atque prosterni? Ecquis non gravi-
ter doleat, quidquid operae, quantum curarum in singulos
educandos insumtum fuerit, id jam per millia pariter
ac subito perire? Proponite animo, Auditores, saevae ali-
cujus pugnae horrendam imaginem, imania primordia, fu-
nestos exitus. Provolant in conspectum bellatorum cater-
vae, plagas et vulnera et exitium illaturae, aut accep-
turae. Ruunt ad conflictum iratae acies; conferunt
infesta arma, et quidquid instrumentorum in perni-
ciem rabies hominum reperit, invicem sibi intendant.
Miscentur, luctantur; impingunt, obsistunt; trudunt,
cedunt; per media cadentium funera adhuc sibi viam
faciunt; fortior vincit. Horret animus singula re-
ferre: caesorum corpora exaggerata, foedata ora, disjectos
et laceros artus; saucios cum integris mistos, spiran-
tes inter exanimes humi projacentes; morientium, vel
mortem, cruciatuum dolorumque finem, frustra oppeten-
tium, flebiles voces; dissonos clamores; planctus et la-
menta, per silvas et montes vallesque circumsonantia;
fugientium metus, pavores, trepidationes; cadaveribus
contectos campos; tabem haurientia prata, flumina
cruore infecta; varias denique pereuntium formas, omnemque
imaginem mortium; et quae sunt innumera alia belli
prodigia.

Inter ingentia bellorum damna merito refertur agrorum depopulatio. Habent id proprium bella, ut terris regionibusque prorsus immutatam faciem repente inducant. Tristis et subita consequitur rerum inversio. Occupant militum phalanges arva, antea sollertis aratoris arduo opere culta. Consistunt aera, ignem mortemque evomentes fauces, ubi modo, levis aurae impulsu, fluctuabant maturae aristae, pecorum hominumque alimenta. Proculcant bellatores equi duri laboris pretium unamque agricolae spem. Subsecat immitius ferrum segetes, alias benignae messoris falci submissas. Exaudiuntur per aperta et virentia prata terrifici tormentorum ululatus fragoresque, qua antea laete pascentium pecudum pacati greges incesserunt. Ingemiscunt jam ac plorant coloni, camporum varie distincto proventu antea laeti et alacres. Quaqua demum cum Cerere olim Flora placide et suaviter ambularant, Mars nunc atque Bellona dire regnant.

Tolleranda fortasse, excusanda certe videantur, quae ab hoste ~~posti~~ mala inferuntur. Verum immanitatem ipsam se superasse credas, ubi ad urbium excidia proceditur. Imaginemur infernales terrores angoresque, quibus munitae et obsessae urbis incolae vexantur, igne jam omnique missilium genere injecto, et quod machinarum capiendis delendisque urbibus comparatum est, propius admoto. In tanta consternatione, tam ~~t~~trepido periculorum

cursu, nulla usquam requies, nulla securitas, nullum suffugium. Sive vagantur trepidi cives, sive domi continentur; seu dilabuntur, se congregantur: par utrinque interitus imminet, eadem ruina. Inter tot tamque varia discrimina, minantia juxta et ruentia, sollicite et anxie mentes distinentur. Cui potissimum occurrant, quod primum depellant, nulla ratio et nullum consilium constat. Unum modo elapsi, in aliud gravius incurrunt. Quis domuerit tantam infortuniorum molem? Hinc, inde erumpentium flammarum vim quis cohibuerit? Ægra omnia, impedita, misera atque perplexa. Jamque ferus hostis irrumpit, quo majore difficultate colluctatus, eo iratior et inexorabilior. Sævit in omnem sexum omnemque ætatem, ne imbellibus quidem parcit, nullum vindictæ genus prætermittet, nil sanctum inviolatumque relinquet, omne humanitatis jus fasque negligit, omnia in prædam et rapinam agit; nec furenti finis est, nisi satietas. Discurrunt plangentes per plateas infantes, parentibus orbi; deserunt domicilia conflagrantia adulti; frustra uxor quærit maritum, sponsa sponsum; cari parentes liberos, senectutis suæ solatia, mœrentes desiderant lugentque. Inopia cuncti et fame laborant. Et quis calamitatum miseriarumque omnia genera enumeret atque percenseat?

Neque inter minima belli detrimenta numerandum est, quod nobilissima sæpe opera, magnifica atque stupenda in quibus elaborandis perficiendisque, curatissima plurimorum annorum se sedulitas atque industria

artificum consumta fuit, quorumque auctores immortalitatem nominis sibi quaesiverant; digna quae ad seram posteritatem conservarentur, et, si immanis vis abesset, per secula duratura, barbara militum manu, ac feroci rudissimorum hominum lascivia, brevi tempore deformantur, confringuntur, subruuntur.

Jam si meminerimus, quod <u>florentissimae familiae</u>, optime de re publica promeritae, civitatis decora et fulcimenta, factorum magnitudine et claritate insignes, bellicis nunc calamitatibus involutae, et <u>communi ruina</u> complicitae, distrahantur, et variis casibus intercidant: gravissimam vel ex eo civitatem jacturam pati, profitendum erit.

Usquequaque porro, ut ad cetera mala veniam, inter bellicos horrores dominatur <u>privata</u> <u>et</u> <u>publica vis</u>. Silent leges, ubi arma praevalent, exulat justitia, quum robore corporis et ferocitate omnia aguntur. Tum intuta omnia sunt; fortunae pariter vitaeque periclitantur, quando judiciis nullus locus est. Inter homines violentos, humani divinique juris immemores, nihil intactum inviolatumque relinquitur. Effrenata licentia, insatiabilis aviditas, indomita libido ubique regnat. Vis cuncta corripit.

Quid mirum, si nullum est legum præsidium, nulla auctoritas; multa enormia, nefanda et atrocia impune patrari facinora, et a quibus bestiæ etiam abhorrent, ab hominibus ea erga homines committi? Homo quippe, nulla disciplina eruditus, nullis sapientiæ præceptis imbutus, ratione male utens, quovis animali muto, et prorsus ratione carente pejor est. Incendere, rapere, lascivire, latrocinari, corrumpere atque deperdere, eaque omnia infinitis, callide inventis modis exsequi, humanæ feritatis et insaniæ propria sunt. Proinde videas fumantia tecta, subdita alendæ flammæ idonea materia. Artificiose verba torum hominum misereat; quæ apud feras ignota sunt crimina, dedecora atque flagitia, ea pudeat inter homines fieri. In tam dubio et lubrico statu rerum nulla obtinere posse commercia manifestum est. Ac desit fides, si violentiæ cuncta patentia et exposita fuerint, si nulla aut bonis aut hominibus ipsis securitas constat: necesse est, omnis rumpatur mutua hominum communicatio. Neque enim aut vectura, aut transitus, aut itinera tuta sunt. Reclusa omnia, abdita et solitaria. Unusquisque sibi tantum vivit. Omnis societas hominum quasi e medio sublata est.

Præterea litterarum studiis, liberalium artium scientiarumque culturæ nil utique nocentius bello est. Refugiunt verecundiores timidioresque Camoenæ provincias, quas discordiarum turbo armorumque strepitus exagitat.

Nimirum otio ali et amplificari fructa, quaerunt sibi pacificam sedem, nec possunt florere, coarctatis aliqua externa vi, ac veluti compressis facultatibus, altius sese et libere offerentibus.

Restitat adhuc, quod inprimis magnum belli malum censendum est, <u>morbos</u> et <u>pestilentias</u>, quarum solent esse bella causa. Quodsi cogitemus, quantum frumentorum aliarumque rerum, quae sanum victum homini praebent, aut in mare et flumina projiciatur, aut comburatur, aut quovis alio modo vitiatum, sanitati corporis inidoneum efficiatur: profecto non erit mirandum, per bellorum cursum tot homines inopia et fame urgeri. Si porro reputemus, tam immensum cadaverum inhumatorum, super terram putrescentium, numerum pestiferis exhalationibus aërem inficere: nihil erit magis naturale quam ut existimemus, misere adfligi viventium corpora, aegritudinesque et infirmitates, et morbos pestilentes inde oriri; quae sunt etiam, ut experientia ipsa docet, diuturni plerumque belli consequentia.

Sed nolo tam foedis descriptionibus longius immorari. Solabuntur animum depressum et adflictum <u>prosperantia</u> <u>pacis</u> <u>bona</u>. Jam vero temporis

angustia preclusus, alteram hanc orationis meæ partem in aliud tempus differre cogor.

Continuatio.

Intellexistis, opinor, Auditores, ex iis, quæ nuper à me exposita sunt, verissime illud enuntiatum esse, quod nulla bello salus sit. Alibi ergo illius fontem quaeramus atque originem necesse erit. Una vero prosperitati humanæ consulendi ratio pax est, cujus adeo ingentia et insignia sunt beneficia et ornamenta, tam innumeræ suavitates opportunitatesque, ut in enarrandis iis et deprædicandis vel disertissimi hominis facundia deficiat. Avocate nunc cogitationem Vestram ab ista tanta atrocitate barbarieque, qualem bellica facies ostendebat, à tam diro et horrifico spectaculo, cujusmodi bellicus furor exhibebat. Amoeniorem lætioremque pacis speciem, ut vires meæ tulerint, sane imperfecte, ita tamen expressam, ut ad omnium animos alliciendos, permulcendos ac retinendos plurimum valeat, contemplationi Vestræ subjicite. Huc advertite mentes! Hic omnem intuitum defigite. Nihil atque pace uberius est, fructuosius, salutarius; nihil omnino, quod vitam hominum quibuscunque bonis cumulatiorem beatioremque reddat. Hæc sua benigna luce omnia collustrat. Hæc sua

munificentia cuncta alit fovetque. Haec inexhaustam divitiarum suarum copiam, ac varietatem per omnes liberalissime diffundit. Haec denique, instar Dea, cum dulcissimis comitibus suis, tranquillitate, hilaritate et affluentia, quoque loca adierit, quasque provincias ac gentes percolluerit, recreat, exornat, laetificat, beat.

Libet ire per partes, quo lucalentius pateat eorum, quae summatim modo dixi, veritas et amplitudo. Prima mihi offertur, de multiplici et admirabili pacis beneficentia cogitanti, quae urgentibus inprimis necessitatibus subvenit, et ad vitam sustentandam potentissima est, agricultura. Pax blanda, ubi praesidet rebus humanis, securus arator, serenum vultum praeferens, opus strenue facit, perfodit secatque humum, et semina spargit. diligens vinitor circumcidit vites, plantulas et varia herbarum genera in terram inserit conditque hortulanus; et grata soli ubertas debita labori praemia persolvit. Depascunt impavidi pecorum greges viridia prata. Audiuntur jubila metentium voces,

laetiqꝫ cantus; miscentur joci jucundi. Locuples autumnus quorumvis generum frugibus horrea replet; fruiturque adsiduus cultor, quae sibi paravit, alma natura duce, donis, ac ceteris subministrat e penu suo variam copiosamqꝫ corporis alendi materiam.
Ecquod omnino majus bonum dici possit communi illa, quae per pacem regnat, et publica securitate. Tantum abfuit â benigno summi conditoris rerum consilio, ut bonis hominum fugeret, vitaret, aversaretur, et invicem sibi metuerent, ut potius omni ratione conjunctioni eorum et consociatione providerit, et quoddam sui desiderium hominibus indiderit, adpropinquandi et expetendi sese et mutuo adfectu invicem amplexandi; eosqꝫ sui ipsorum quam simillimos homines effecerit. Quae quidem plane similis ipsorum naturae conformatio in hoc potissimum valere debuit, ut unusquisque, aliumquemqꝫ intuens, quasi se alterum agnosceret, et in fiduciam amoremqꝫ ejus verteretur, sicque omnis hominum universitas in unam societatem congregaretur. Quod ita a numine sapientissime institutum, si servaverint homines, si pacem et concordiam coluerint, perfecta erit ubiqꝫ ac plenissima securitas. Jam nulla vis grassabitur, nullae insidiae fient, procul erit omnis injuria; nulla pericula

iminebunt, nulla damna timebuntur, intacta bona & erunt, illæsa corpora, non cujusquam hominis vita periclitabitur. Ejus securitas quamquam præcipua pars habenda est, ne homo hominem violet, ne quis injuriam faciat aut accipiat, ne quis unus alteri molestus aut gravis sit: hoc tamen accedit, ut quodque damnum, quamque perniciem, undecunque impendeat, junctim et communiter arceant, injuriam profligent, invicem sibi opitulentur et consulant, una omnes communem humanitatis causam agant, humanæ saluti inservientes.

Etiam hoc pacis securitatisque magnum munus existimandum est, quod <u>liberi</u> sunt <u>commeatus</u>, quoquo res vocat, ire et redire nullo impedimento cuique licet. Expedita est per litteras communicandi, commorandi, mercandi, negociandi ubique, et facilis ratio commerciorumque per quaelibet loca et quaslibet regiones amplissima potestas: ut cum cæteris tanquam cum popularibus agere et conferre bona possis. Tunc enim non obstructæ, armatorum globis infestæ viæ; non truculento ferro infesta itinera; nulli raptorum, transeuntibus bonis, ceu præda, inhiantium, metus; nulla inermium viatorum vexationes. Patentia omnia, ut inter amicos, atque reclusa. Quæ sola res quantum momentum habeat, tam ad necessitatem, tam inprimis ad commoditatem, varietatem amœnitatemque vitæ,

difficile sit verbis exprimere.

Si spectemus porro, quæ legum ratio sit, magna gratia et dignitas paciſ ex eo quoque conciliabitur, quod om-nis reverentia et sanctitas per pacem iis comparanda est. Sunt autem leges firmamenta humanæ societatis, omnisque humani juris præsidia. Nec stabilis erit et genuina hominum consociatio, sed improborum et perditorum conglobatio, ac ferarum potius congregatio, apud illos, qui nulla jura norunt, nec verentur. Initia civitatis constituendæ, et quæcunque inde commoda fluxere, â legibus ducuntur. Lex est recte agendorum præcep-trix, ultrix male factorum; violentiæ scelerum flagi-tiorumque propulsatrix, tutrix bonorum; commenda-trix omnium virtutum; præmiorum ac poenarum distributrix; publici ordinis communisque tranquilli-tatis conservatrix; æquitatis denique et justitiæ executrix. Quæ omnia adeo iis contraria sunt, quæ in-ter belli rumores atque tumultus fiunt, et cum bellica licentia pugnantia, ut nullum aut præceptum legis aut obsequium obtineat, ubi feroci armorum imperio cuncta subacta et obnoxia sunt; nec nisi pace regnan-te prompta et valida legum auctoritas et efficacia possit consistere. Tum demum jura valent, honoran-tur judicia; pronis auribus vox legis, salutaria mo-nentis, ceu Dei vox, excipitur; recusantes et obstre-peros in ordinem coguntur; plectuntur malefici; temeraria ausa comprimuntur; non impune delinqui-tur. Hoc legum regno, ut leni erga bonos, in corruptos

et nocentes severo, iniquitatis et nequitiæ impatiente, nihil in terris beatius cogitari potest.

Dies me deficeret, nec tamen de pacis laudibus satis dixerim. Hæc summatim complectimini. Num potest quidquam omnino ad liberalia studia excitanda, proferenda, exigenda; ad felices faciles[que] in omni artium genere progressus, ad scientias augendas et ornandas, ad edenda in lucem præclara opera, adcommodatius esse quieto hoc et pacifico statu rerum, in quo tum otium illud necessarium conceditur, tum adminicula et subsidia abunde suppetant, tum quoque præmia justa respondent? Quibus ademtis et sublatis vel optima indoles marcet, et præstantissima ingenia absque fructu jacent. Num qua dabitur extra pacem, mores ingenuos et incorruptos servandi ratio et via? num quid diligens educatio proficiet? numqua disciplina severitas efficaciter adhibebitur? numquid sanctissima præcepta valebunt? propositis ubique in bello licentiæ ac proterve peccantium exemplis; quum alioquin, ut poeta loquitur, dociles imitandis turpibus ac pravis omnes simus: cui perniciei sola pax medebitur. Ecqua esse potest domestica et privata salus? ecqua socialia gaudia? ecqua suaviter convivendi et jucunde conversandi ratio? ecqua colloquendi communicandi[que] simplicitas? nisi pacata re publica, periculorum vacua, et

amota tot curarum, molestiarum, ægritudinum, sollicitudinum et luctuum materia; sublatis suspicionibus ac dissentionibus, quæ inter cetera belli mala plerumque partium studio gignuntur. Undenam denique, nisi a pace petatur paretur que nobis tranquilla ista, hilaris, erecta, læta, suis bonis contenta, secum consentiens, sorte sua acquiescens animi affectio, quæ videtur sola fere omne vitæ pretium esse.

Ita comparatis invicem pacis commodis bellorumque malis, restat, ut, quod supra a me positum fuit, paucis exsequar, <u>quibus rebus pacem optime tueamur</u>. Quod ut ordine efficiam, paulo altius mihi repetendas esse video plerorumque bellorum causas. Quicunque vero, quæ olim apud gentes gesta fuerint, historia duce, attentius revolverit et perlustraverit, facile perspectum habebit, quanto densiores tenebræ humanis mentibus offusæ, quantoque magis eæ inscitia erroribusque involutæ et obstrictæ fuerint, tanto crebriora et truculentiora inter gentes bella extitisse. Rudes enim et inculti populi, quasi humanitatis expertes, humani certe juris nescii, ferarum more infectati sese invicem crudelissime vexabant, quin quandoque etiam funditus exterminabant.

Turpe dictu, ac pudet fateri, inter ipsos Germanos aliquando tale evenisse. Memorat Tacitus, summus auctor, Bructerorum numerosam gentem a Chamavis et Angrivariis, vicinarum nationum consensu, penitus excisam fuisse. <u>Primum</u> igitur paci colendæ præceptum erit, ut <u>rationis lumine</u>, quod

natura hominibus indidit, ad discriminandum, quæ
ipsorum saluti conducant vel noceant, quæque expetenda
sint vel fugienda, bene utamur. Sola namque ratio ægris
mentibus medetur. obscuritatem et ignorantiam cæ-
cam dispellit, futiles inanesque imagines, et illudentium
spectrorum vanas formas, quibus sæpe mortales circum-
aguntur et in avia perniciosa diducuntur, eximit;
justas rerum notiones informat, et suum cuique pre-
tium statuere docet; veritatis viam commonstrat,
et ad humanitatem omnia revocat. Atque inpri-
mis hoc in philosophiæ laudibus numerandum est,
quod â belluina feritate et immanitate ad mansue-
tiorem humanioremque vivendi agendique rationem
homines restituit; et quamquam, propter alia im-
pedimenta, bellicos ignes furoresque perdomare ac
prorsus restinguere haud valuerit, magnopere eos
certe mitigavit atque diminuit.

Neque enim adfirmaverim, âb caligine mentis uni-
ce, et neglecto rationis usu exitiosorum quorumque bel-
lorum initia esse profecta: utpote quæ, proh dolor!
apud cultissimas quoque et politissimas nationes
grassari adsueverunt. Imis pectoribus infixa latent
semina multarum cupiditatum, quæ, nisi mature
cohibita ac temperata fuerint, robustiores factæ
jam, tantam vim accipiunt, ut ne ipsa quidem ra-
tio iis, intra modum justitiæ, coërcendis suffi-
ciat. Urget et singulos homines, et universas natio-
nes, opum divitiarumque anhelans cupido, possessio-
num amplificandarum, ditionis suæ proferendæ, nova
quærendi, nimium studium. Urit ambitio morta-
lium animos, dominandi libido, inanis gloria

captatio. Pungit invidia, prosperitatem aliorum aegre ferens; ad aliena commoda, quibus aut ipsi careant, aut soli potiri velint, diminuenda vel eripienda, prona. Obsident ceterae libidines. His fere initiis in violentiam, injuriam, tot genera fraudis, totque facinora homines ruunt. Ita sunt illecebrae, hac incitamenta bellorum, tum ipsis qui suscipiunt, tum universae rei humanae maxime nocentium. Accedit vitiorum cumulus, quibus tum civilia, tum externa bella, et provocantur et accenduntur: vanitas, jactantia, luxuria, frivolarum rerum quaesita delicia, prava aemulatio, opum profusio, exhaustio aerarii, onerum auctio, oppressiones. Hisce causis florentissimae olim jam et opulentissimae civitates pessum ierunt. Cujus rei magna exempla adferre possim. Ita validissimum olim Persarum imperium collapsum est, cessitque Macedonum armis; postquam mollitie et lascivia omnia corrupta et enervata fuissent. Ipsa Roma, orbis terrarum domina, non alia re gravius coagitata atque percussa est, quam quod ex alta illa, in quam elata fuit, fortuna, plurimorum vitiorum et nocentissimarum cupiditatum materia ingerebatur: quum immensae opes ad omnium voluptatum deliciarumque, aut potentiae sibi quaerendae instrumenta verterentur, flagrarent potentium animi dominandi libidine, crudelia inter ipsos odia et certamina exardescerent: per optimatium factiones civitas distraheretur; largitione et profusione cuncta tenerentur; suffragia, munera, honores, imperiaque pretio emerentur; aviditate, superbia, arrogantia omnia ministrare cogerentur, increbescerent reluctantis et male parentis populi motus ac secessiones; eadem per omnes civium ordines vagaretur pernicies; pariterque omnes, summi et infimi, licentia et luxuria diffluerent: donec

diu his malis colluctata res publica praeceps tandem ad exitium datur. Id quod Numidarum Tyrannus Jugurtha jam providerat, qui, quum Senatus jussu Roma excederet, respiciens, memorabilem vocem edidisse fertur: O venalem urbem, et perituram simul ac emtorem invenerit. Intueamur Catilinae et Caesaris insignia facinora. Ille, post vitam libidinose flagitioseque actam, aere alieno, quo maxime obstrictus erat, se exsoluturus, summa imis miscere, cuncta pervertere adgressus, pestem civitati intentabat: et intulisset, nisi divinus orator, Cicero, obstitisset, cujus eloquentia tantum valuit ut omnem illam infernalem cohortem subito prosterneret. Hic, inexplebili famae et potentiae siti ardens, non alio consilio vim armaque in patriam movit, civilique bello, truci et cruento, ducem se auctoremque praebuit, quam ut solus oppressam rem publicam sua dominatione retineret: quod magno ipse deinde fortunae suae et sanguinis sui pretio luit. Quae quum sint plurimorum bellorum caussae, convenientissimum paci tuendae per alterum erit consilium, ut emendationis ratio quam diligentissime habeatur. Emendationis autem magna pars est, ut avocentur mortalium animi ab inanium et speciosarum rerum studio quas plerumque nimium sequuntur; ut pravae comprimantur cupiditates, quibus in prava facta et varia peccata abripiuntur; ut ambitio, avaritia, invidia, fraudulentia, vindicta, injuria, odia, quibus invicem se homines vexant ac perdunt, quam fieri maxime potest, minuantur et exstirpentur. Quod optime ita obtinebitur: si sensum veri boni, quod non potest unquam a communi salute sejunctum esse, ac verae laudis studium excitaveris; si ante omnia persuaseris, non quidquam utile nisi quod honestum

est, nec gloriam, nisi ex virtute petendam esse, et
inter ipsas virtutes eminere omnium pulcherrimas
moderationem et justitiam. Si docueris; una hac
et certissima via, quam virtus et ratio designat
et commendat, ad ultimum finem, homini propo-
situm, communem omnium felicitatem perveniri posse;
et quidquid a veræ sapientiæ præceptis abhorreat, qua-
lemcunque speciem fortiter et splendide et magnifi-
ce factorum induat, inter ~~[illegible]~~ falsa simulacra et
imitamenta gloriæ esse numerandum. Si deformitatem
et stultitiam eorum coargueris, qui gloriam ex his
rebus sibi aucupantur, quæ summum dedecus humani-
tati et magnam cladem inferunt. Si ita animum
institueris, ut solum placeat, quod rectum est; utque
magnitudinem suam malit justitia tueri. Si denique
patientiæ, lenitati, facilitati, benevolentiæ, cari-
tati, concordiæ, mansuetudini, clementiæ, et quæ
cetera sunt blandiores mitioresque virtutes, continuo
adsuefeceris:
Quæ si serventur saluberrima præcepta, si ita erga
se animati homines et adfecti sint: sequetur
illud, quod tertio loco posueram, ut vitatis et a-
motis discordiarum contentionumque caussis, sup-
pressa et extincta omni bellorum materia, pax
per omnia vigeat, resque humana florentissima sit,
ac vita, ut esse potest, beata.
Utinam principes ac reges, et quibus communis sa-
lutis cura ac rerum publicarum administratio
concredita est, quid generi humano debeant, quæ
sint officia eorum, quos rectores sibi constitutos
esse gentes voluerunt, alte considerent! Utinam omni-
bus viribus, omnique contentione animi hoc agant,

huc omne consilium referant, ut sui muneris magnitudini et gravitati respondeant; et, quem primum apud homines locum tenent, digne sustineant, sapientia et beneficentia ornent: neque aliunde admirationem sibi et immortalitatem quaerant, quam jurium humanorum accuratissima tutela, ac fide, quam suis gentibus obstrinxerunt, sancte religioseque servanda! Utinam inprimis civium sanguine parcant, quo nihil ipsis pretiosius esse oportet; neque tot millia suorum libidini suae aut pervicaciae sacrificent! Utinam bella abhorreant et curatissime caveant, quibus nulla potest esse major pernicies: tot exemplis admoniti, quorum unum edidit valde memorabile Carolus XII Suecorum rex, qui sane audentissimus et bellicosissimus, a principio fortunatus etiam, incredibilia prope adortus, ~~post~~ postremo occubuit, suoque regno vulnera inflixit, quae post unius saeculi defluxum necdum satis obduruerunt. Utinam pacem unice ament et colant, qua nullum bonum majus aut divinius in terris datur! Utinam liberos successoresque inde a prima aetate bonis sensibus imbuant, artibusque bonis erudiant; jamque teneros adsuefaciant, aequo animo aequa noscere, non ad inscitiam et ignaviam principatum referre, sapientiae animum subdere, monentia observare historiae exempla; servum adulatorum agmen fugere, communi utilitati inservire; minoris aestimare, quae splendide, quam quae salubriter fiunt: benigno et pacifico imperio nil gloriosius habere. Sic ipsis, atque civitatibus, quibus praesunt, optime consultum erit. Sic firma regna stabunt.